



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 7. Utrùm gratia efficax constitui possit in excitante gratia ex natura sua irrepuabili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

ita opus bonum fiat ex affectu iustitiæ, non ex formidine pœnæ: in quo bonum ex propria determinatione operandi modo consistit vera & sana voluntatis libertas.

Obj. 2. S. Augustinus sic loquitur lib. 2. de pecc. mer. & remiss. c. 17. *Nolunt homines facere quod iustum est, siue quia latet an iustum sit, siue quia non delectat: tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius quod bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius Ut innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates Ideo quisque nostrum opus suscipere, agere, implere, nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non sue facultatis, sed divini muneris esse vel quod scit, vel quod delectatur: ac sic ab elationis vanitate sanctetur, & sciat quam verè non de terra ista, sed spiritualiter dictum sit: Dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Tanto autem magis delectat opus bonum, quanto magis diligitur Deus summum, atque incommutabile bonum.*

R. S. Doctorem hic loqui de delectatione deliberata, quæ consistit in amore deliberato, quo unum obiectum alteri anteponimus, & anteponendo, illo delectamur amplius. Sine hac delectatione homines nolunt facere quod iustum est, quia homines non volunt facere, nisi quod amant facere, & cum hac delectatione homines facere volunt quod iustum est, quia facere volunt quod amant facere, & tanto ardentius volunt, quanto ardentius amant, & amando ardentius delectantur. Ut autem ament facere quod iustum est, indigent adiutorio Dei dantis suavitatem, seu suavem voluntati iustitiam efficientis, & quidem quomodo ei aptum est, ut velit iustitiam amare, & amando illa delectari sic, ut illam sectetur, & secundum illam operetur. Itaque ut suavis hominibus fiat iustitia, quomodo eis aptum est, ut eam ament deliberatè, eaque deliberatè delectentur sic, ut ament facere quod iustum est, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates. Quæ gratia nunc datur, nunc non datur? unde bonum opus suscipere, agere, implere nunc amamus, nunc non amamus, & ita nunc delectamur, nunc non delectamur, ut noverimus divini muneris esse, non facultatis nostræ naturalis, quod amemus deliberatè, & amando deliberatè delectemur, atque ita non in nobis gloriemur, sed in Domino, quo dante suavitatem, terra nostra dat fructum suum, quem non dat, Domino suavitatem non dante. Porro tanto magis deliberatè delectamur facere quod iustum est, quanto magis diligimus Deum, quia quanto magis diligimus Deum, tanto magis amamus ei placere; & quanto magis amamus ei placere, tanto magis amamus facere quod iustum est.

Obj. 3. Eod. lib. c. 19. sic ait S. Doctor: *Nos autem quantum concessum est, sapiamus, & intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum idè etiam sanctis suis ad alicujus operis iustitiam aliquando non tribuere vel certam scientiam, vel vitricem delectationem, ut cognoscant non à se ipsis, sed ab illo sibi esse lucem, qua illuminentur tenebre eorum; & suavitatem qua det fructum suum terra eorum. Cum autem ab illo illius adiutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque, iustitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & suave faciat, quod non delectabat? quia & hoc ab illo esse deprecandum, ejus gratia didicimus, cum antea lateret: ejus gratia dileximus, cum antea non delectaret Idcirco etiam sanctos & fideles suos in aliquibus vitiis tardius sanat, ut in his eos minus, quam implende ex omni parte iustitiæ sufficit, delectet bonum, siue cum latet, siue cum etiam manifestum est.*

R. 1. Hic quoque S. Doctorem intelligi posse de delectatione deliberata, seu de actu amoris deliberato. Itaque dici potest, quod juxta S. Doctorem, victrix illa delectatio, quam Deus non tribuit aliquando sanctis suis, est delectatio, non indeliberata; sed deliberata, quæ iustitia nos delectat amplius, quam bona sensibilia, quia illam amplius diligimus, illamque ante-

ponimus. Victrix autem illa delectatio dicitur, quia vincit omnes alias delectationes carnales, quippe quibus in ejus sensu composito indulgere non possumus. Illam dat Deus, dando suavitatem congruam, hoc est, iustitiam efficiendo nobis suavem & dulcem, quomodo nobis congruit, ut eam amplius amemus, & amplius amando, amplius ea delectemur. Unde quando ad faciendam perficiendamque iustitiam, Dei adiutorium deprecamur, deprecamur ut iustitiam nobis suavem efficiat; quia quandiu nobis insuavis est, ea non possumus indeliberatè delectari; & ea non possumus deliberatè delectari, quia, eam diligere non possumus. Nec modò deprecamur, ut iustitiam nobis efficiat suavem, sed etiam suavem efficiat, quomodo nobis aptum est, ut eam tantum amemus, adeoque ea tantum delectemur deliberatè, quantum ad illam ex omni parte implendam sufficit.

R. 2. S. Doctorem intellectum de delectatione indeliberata, ut alias intelleximus, per delectationem victricem significare non necessitatem, sed congruam delectationem cœlestem, sine qua non delectamur, & quacum delectamur deliberatè iustitia, quantum oportet, ut eam impleamus, & secundum eam operemur: siue, quod idem est, sine qua non delectamur, & quacum delectamur deliberatè iustitia plus quam bonis sensibilibus, adeoque sine qua non anteponimus, & quacum anteponimus bonis sensibilibus iustitiam, & sic eam necessarîo necessitate consequenti & nobis voluntaria sectamur.

ARTICULUS VII.

Utrum gratia efficax constitui possit in excitante gratia ex natura sua irrepudiabilis.

RESPONSIO.

Non potest.

Prob. 1. Nam gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, repugnat Concilio Senonensi. Ergo non est admittenda. *Prob. ant.* Gratia excitans est inspiratio divina. Atqui inspiratio ex natura sua irrepudiabilis reprobatur à Concilio Senonensi. Ergo, &c. *Prob. min.* Inspiratio ex natura sua irrepudiabilis, talis est natura sua, ut ei non possit resisti, sed ea voluntas inevitabiliter rapiatur: nam quid est inspiratio ex natura sua irrepudiabilis, nisi inspiratio ex natura sua irresistibilis? Cum enim repudiare inspirationem, nihil aliud sit, quam ei resistere; posse repudiare inspirationem, nihil aliud est, quam posse ei resistere; adeoque non posse repudiare inspirationem, nihil aliud est, quam non posse ei resistere. Atqui inspiratio, quæ talis est ex natura sua, ut ei resisti non possit, reprobatur à Concilio Senonensi: nam decreto 15. loquens de interiori & occulto secretioris inspirationis afflatu, quo voluntas contracta sese convertit in Deum, sic ait: *Nec enim tale est huiusmodi trabentis Dei auxilium, cui resisti non possit. Frustra Paulus Thessalonicenses admoneret, Spiritum sanctum ne extinguerent, divinis inspirationibus homines inevitabiliter raperentur.* Ergo, &c.

Prob. 2. Gratia excitans ex natura sua irrepudiabilis, damnatur à Synodo Tridentina. Ergo, &c. *Prob. ant.* Nam Synodus sess. 6. cap. 5. loquens de excitante gratia, cui homo liberè assentiendo & cooperando, sese disponit ad recipiendum justificationis beneficium, expresse docet, eam ab homine abjici posse. Atqui gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, non potest abjici: non enim potest repudiari. Non potest autem repudiari, & non potest abjici, sunt synonyma. Ergo, &c.

Præterea, Synodus ead. sess. can. 5. definit voluntatem gratiæ excitanti, cui re ipsa consentit, posse, si velit, dissentire in sensu scilicet divito consensus, hoc est, voluntatem gratiæ excitanti, cui consentit, ita consentire, ut non consentire, sed dissentire posset, si veller. Atqui gratiæ excitanti, ex natura sua irrepudiabili, voluntas non potest non consentire: nam si posset

et non consentire, posset eam repudiare, ut patet ex terminis: non enim consentire, est repudiare, & vicissim; adeoque posse non consentire, est posse repudiare, & vicissim. Ergo gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, voluntas non potest dissentire: qui enim dissentit, non consentit, adeoque qui potest dissentire, potest non consentire. Ergo gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, anathematizatur à Synodo Tridentina.

Prob. 3. Gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, repugnat doctrinæ S. Augustini. Nam sic loquitur S. Doctor lib. de Spir. & litt. c. 34. *Ipsam vel le credere Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos: consentire autem vocatini Dei, vel ab ea dissentire, proprie voluntatis est.* Atqui hîc S. Doctor nomine vocationis non solum externam propositionem credendorum, sed etiam internam illustrationem & inspirationem intelligit: intelligit enim vocationem, qua Deus in nobis operatur velle credere, & qua misericordia ejus prævenit nos. Nos autem prævenit, non solum res credendas externis proponendo per homines, sed etiam & potissimum interius illustrando & excitando. Ergo ex S. Doctore, possumus pro arbitrio consentire vel dissentire gratiæ excitanti, etiam illi, qua Deus operatur in nobis velle credere. Ergo ex S. Doctore gratia excitans non est ex natura sua irrepudiabilis: nam gratia illa non est ex natura sua irrepudiabilis, quam possumus pro arbitrio repudiare vel non repudiare, seu, quod idem est, cui possumus pro arbitrio consentire vel dissentire.

Prob. 4. Gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, destruit libertatem arbitrii. Ergo rejicienda est. *Prob. ant.* Auxilium qd tenens ex parte actus primi, & voluntatem antecedenter atque superabiliter obligans ad alteram partem contradictionis, destruit libertatem arbitrii. Atqui gratia excitans se tenet ex parte actus primi, & antecedenter atque insuperabiliter voluntatem obligat ad alteram partem contradictionis. Ergo destruit libertatem arbitrii.

Prob. maj. Ad libertatem arbitrii requiritur saltem, ut spectatis præcisè iis, quæ pertinent ad actum primum, illum constituendo, vel complendo, voluntas expeditam habeat facultatem se ipsam ad alterutram, prout libuerit, contradictionis partem determinandi. In hoc nobis consentiunt Thomistæ. Et verò vel hoc saltem requiritur, vel ad libertatem arbitrii sufficit, ut spectatis iis, quæ ad actum primum pertinent, voluntas sit immunis à violentia ad unum determinatione, adeoque possit sponte velle & agere: quod Jansenianum & hæreticum est. Quod si ad libertatem arbitrii non sufficit, ut spectatis iis, quæ ad actum primum pertinent, voluntas careat violentia ad unum determinatione, certè requiritur, ut ab omni etiam non violentia ad unum determinatione soluta sit, proindeque expeditam habeat se ipsam ad alterutram, prout libuerit, contradictionis partem determinandi facultatem.

Prob. min. 1. pars. Nam illud se tenet ex parte actus primi, quod complet actum primum. Atqui gratia excitans complet actum primum. Item illud se tenet ex parte actus primi, sine quo nec est, nec esse potest posse proximum & completum. Atqui sine gratia excitante nec est, nec esse potest posse proximum & completum. Cum enim præter gratiam excitantem non sit aliud internum voluntatis adiutorium anterius, si absque gratia excitante posset esse posse proximum & completum ad actum salutarem, possibilitatem ad actum salutarem proximam & completam haberet homo absque interno voluntatis adiutorio: quod certè Pelagianum est. Ergo omnis gratia excitans se tenet ex parte actus primi.

Prob. 2. pars min. Auxilium, quod se tenet ex parte actus primi, & ex natura sua impossibile est cum negatione consensus ad quem moveret, antecedenter & insuperabiliter obligat ad alteram partem contradictionis. 1. Obligat ad alteram partem contradictionis: nam obligat ad consensum, ad quem

Simonnet Theol. Tom. II.

mover ut per se patet. 2. Obligat antecedenter: nam obligat ante omnes libertatis exercitium: libertatis enim exercitium omne supponit ea omnia, quæ pertinent ad actum primum. 3. Obligat insuperabiliter: non enim magis componi potest cum dissensu, quam potest simul esse & non esse tale ex natura sua, quod tamen implicat. Atqui gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, se tenet ex parte actus primi, ut probatum est, & ex natura sua impossibilis est cum negatione consensus, ad quem excitat: nam si esset composibilis, non esset ex natura sua irrepudiabilis. Ergo, &c.

Hoc argumentum sic contrahio. Auxilium, quod dat posse insuperabiliter determinatum ad unum, tollit libertatem arbitrii; tollit enim activam indifferentiam, quæ est facultas volendi vel non volendi, agendi vel non agendi prout lubet: nam posse insuperabiliter determinatum ad unum, esse nihilominus activè indifferens, evidenter repugnat. Atqui gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, dat posse insuperabiliter determinatum ad unum, 1. Dat posse: nam complet facultatem naturalem voluntatis, & ex ea & facultate naturali voluntatis resultat principium proximum & adæquatum actus salutaris. 2. Dat posse insuperabiliter determinatum ad unum, quia facultatem naturalem voluntatis, se sola ad bene operandum insufficientem, complet, eam insuperabiliter ad consensum salutarem determinando, hoc ipso quod ex natura sua talis est, ut non possit repudiari. Ergo, &c.

Dices 1. Nos hoc argumentum mutuari à Pelagianis, qui ut liberum arbitrium defenderent, negabant gratiam voluntatis & actionis. R. 1. ad hanc evasionem alias confugisse Calvinum, & post eum confugere Jansenium, ad defendendam gratiam necessitatem, quam qui rejiciunt, ut defendant liberum arbitrium, à Calvino & Jansenio traducuntur ut Pelagianis. R. 2. Pelagianos errasse putando liberum arbitrium stare non posse cum necessitate interioris gratiæ, adjuvantis voluntatem & actionem, qualiscumque esset ista gratia, hoc est, sive irrepudiabilis, sive etiam repudiabilis esset ex natura sua. An idcirco erramus, & Pelagianos imitari dicendi sumus, cum probamus & demonstramus liberum arbitrium stare non posse cum excitante gratia ex natura sua irrepudiabili? Ad populum phalaras.

Dices 2. Voluntas per excitantem gratiam, ex natura sua irrepudiabilem, sic determinatur ad operandum bonum, ut ipsa sit volens, ut ipsa velit facere bonum opus, ad quod determinatur à gratia; adeoque sic determinatur etiam insuperabiliter, ut adhuc sit libera libertate arbitrii. R. Dicere, quod voluntas libera sit libertate arbitrii, hoc ipso præcisè, quod ipsa volens est, quod ipsa vult facere id ad quod insuperabiliter determinatur, Jansenium est. Qui hoc dicit, dicit ad veram arbitrii libertatem, & ita ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, sufficere immunitatem à coactione, quod hæreticum est. Itaque voluntas sub excitante gratia, ex natura sua irrepudiabili, vult quidem, sed vult ex antecedente & insuperabili ad volendum determinatione, se tenente ex parte actus primi, adeoque vult ex antecedente & insuperabili ad volendum necessitate, & ita non erit ad volendum libera libertate arbitrii: nisi velis libertatem arbitrii esse tantum facultatem volendi, facultatem sponte agendi; quod falsum & hæreticum est.

Dices 3. S. Augustinus totam gratiæ efficacis cum arbitrii libertate conciliationem reperit ex eo, quod per gratiam volumus; quod gratia dat velle; quod nemo agit nolens, quando bonum operatur; sed prius quam operetur, de nolente fit volens. R. S. Doctorem per to, velle, intelligere id, quod mortales omnes in usu communi intelligunt, nempe exercitium facultatis activè indifferentis ad volendum vel non volendum, ad volendum hoc vel illud, adeoque nihil habentis saltem ex parte actus primi, per quod ad unum sit determinata, itaque juxta S. Doctorem, gratia

excitans non tollit libertatem arbitrii; quia non impedit, ne velimus, sed è contra facit ut velimus, hoc est, quia non impedit ne exerceamus facultatem illam activè indifferentem, quam habemus volendi vel non volendi, volendi hoc vel illud; sed è contra facit, ut eam meritorie exerceamus. Exerceamus autem, ipsi gratiæ consentiendo potius, quam non consentiendo, absque antecedenti determinatione ad consentiendum, volendo opus salutare potius, quam non volendo, sine antecedenti determinatione ad volendum.

Dices 4. Deus per gratiam excitantem, ex natura sua irrepudiabilem, non determinat voluntatem physicè, sed moraliter, eam scilicet alliciendo & delectando. Ergo per gratiam illam non officit libertati arbitrii. *R.* Quæritur effugia. Itaque dico. 1. Si Deus supponatur voluntatem determinare per gratiam excitantem, ex natura sua irrepudiabilem, hanc determinationem fore physicam, quia erit insuperabilis determinatio: per physicam enim determinationem intelligi debet maxime determinatio insuperabilis. Quid est physica determinatio, nisi vera & propriè dicta determinatio, quam determinatio insuperabilis? Imò verò determinatio (antecedens scilicet, de qua hic agitur,) non propriè, sed impropriè tantum dicitur determinatio, quando à voluntate superari potest; unde tunc non dicitur determinatio, nisi cum addito diminutive, vel etiam destruyente, moralis. Igitur in suppositione excitantis gratiæ, ex natura sua irrepudiabilis, voluntatis determinatio antecedens, quam causat gratia, non nisi abusive dicitur determinatio moralis, eò quòd fiat alliciendo & delectando.

Dico. 2. Sed esto quòd in suppositione facta, voluntatis determinatio dicenda sit moralis, non physica, nihilominus erit insuperabilis, & erit aliquid ex parte actus primi, illum insuperabiliter ad unum determinans; vel, quod idem est, ex gratia & facultate naturali voluntatis resultabit principium adæquatum consensus salutaris, insuperabiliter determinatum ad unum; adeoque tollitur arbitrii libertas: nam principium insuperabiliter determinatum ad unum, & principium activè indifferens ad opposita, contradictoriè opponuntur, ut patet ex terminis.

Dices 5. Deus movet causas secundas secundum earum exigentiam, adeoque movet causas secundas liberas ad liberè agendum. Ergo per excitantem gratiam, ex natura sua irrepudiabilem, determinat voluntatem ad agendum modo libero, & ad exercendam libertatem arbitrii consentiendo, & actum salutarem producendo. *R.* neg. consèq. Imò verò Deus movet causas secundas secundum earum exigentiam. Ergo non movet voluntatem ad actum salutarem per excitantem gratiam, ex natura sua irrepudiabilem; nam si movet, eam ad actum salutarem per talem gratiam, moveret eam non secundum, sed contra exigentiam ejus: sic enim eam movendo, eam & quidem ex parte actus primi insuperabiliter obligaret ad alteram contradictionis partem, dando ei posse insuperabiliter determinatum ad unum. Voluntatem autem sic ex parte actus primi ad alteram partem contradictionis obligatam, arbitrii libertatem nihilominus exercere evidenter repugnat, neque Deus, quamvis omnipotens, magis facere potest, ut voluntas, in hoc statu constituta, in agendo libera sit libertate arbitrii, quam facere potest, ut idem simul sit, & non sit; ut voluntas sit libera libertate arbitrii, & simul non sit; ut existat baculus sine duobus extremis, mons sine valle, &c.

Dices 6. Gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, non tollit indifferentiam judicii. *R.* inde sequi tantum, quòd sub illa gratia objectum partim ut bonum, partim ut malum, sub aliqua ratione repræsentaretur voluntati, quæ tamen nihilo plus libera esset libertate arbitrii, quia tunc adhuc haberet tantum posse insuperabiliter determinatum ad unum.

At inquit. Tunc voluntas haberet diversa motiva, unum prosequendi, & alterum averfandi objectum,

R. Haberet quidem, sed cum antecedenti & insuperabili obligatione, ex parte actus primi ad unam partem contrarietatis, quam obligationem compati non potest arbitrii libertas, quæ est facultas expedita utram libuerit contrarietatis partem eligendi, altera rejecta.

At inquit. Tandiu voluntas potest pro arbitrio prosequi, vel averfari objectum, quandiu habet motiva prosequendi vel averfandi. *R.* hoc esse fallum, si ponatur aliquid in voluntate actum primum complens, & complendo, illum ad unum determinans insuperabiliter.

At inquit. S. Thomas pluribus locis docet, cum indifferentia judicii semper manere libertatem arbitrii. *R.* hoc docere, quia supponit, Deum voluntatem semper ad agendum complere secundum ejus exigentiam, adeoque nihil in ea ponere, quo actus primus ad unum antecedenter determinetur, quando objectum proponitur indifferenter. Quando enim sic proponitur objectum, voluntas exigit habere facultatem eligendi expeditam, ac proinde ab omni ad unum determinatione antecedenti solutam.

Dices 7. Cum excitante gratia, ex natura sua irrepudiabili, manet potentia non agendi, & non producendi actum salutarem, ad quem movet gratia. *R.* Ita est. At non manet potentia dissentienti gratiæ, potentia repudiandi gratiam, potentia non agendi, & non producendi actum salutarem in sensu composito gratiæ, quòd tamen requiritur ad libertatem arbitrii: ad hanc enim libertatem requiritur expedita facultas agendi vel non agendi prout lubet, adeoque facultas non agendi in sensu composito eorum omnium, quæ se tenent ex parte actus primi. Ex his

Confirm. Resp. Excitans gratia, ex natura sua irrepudiabilis est, gratia necessitans. Ergo in ea constitui non potest gratia efficax. *Prob. ant.* Gratia, impossibilis cum libertate arbitrii, est gratia necessitans. Atqui excitans gratia, ex natura sua irrepudiabilis, cum libertate arbitrii impossibilis est. Vel sic. Gratia impossibilis cum expedita facultate agendi vel non agendi prout lubet, est gratia necessitans. Atqui excitans gratia, ex natura sua irrepudiabilis, cum tali facultate impossibilis est. Ergo, &c.

Confirm. iterum. Gratia excitans, ex natura sua irrepudiabilis, est ipsissima illa gratia, quam defendit Calvinus. Ergo est ipsissima illa gratia, quam damnavit Synodus Tridentina. Ergo, &c. *Prob. ant.* ex verbis Calvini. Nam sic loquitur lib. 2. Instit. cap. 3. *Voluntatem movet (Deus) non qualiter multis sæculis traditum est, & creditum, ut nostræ postea sit electionis motioni, aut obtemperare, aut refragari.* Et inferius: *Habemus nunc Augustini ore testatum, quod imprimis obtinere volumus, non offerri tantum à Domino gratiam, qua libera cujusque electione aut recipiatur, aut respuatur.* Et lib. 5. contra Pighium: *Nego gratiam sic nobis offerri, ut nostræ postea sit optionis vel obtemperare vel refragari.* Calvinum intelligere excitantem gratiam, extra omnem controversiam est, & dicit eam talem non esse, ut eam recipere aut respuere, ut ejus motioni obtemperare aut refragari possumus pro arbitrio. At quare talis non est, nisi quia ex natura sua irrepudiabilis est? Ergo Calvinus excitantem gratiam, ex natura sua irrepudiabilem, defendit, & in ea efficacem gratiam constituit.

Dices. Calvinus non erravit custodiendo efficacem gratiam in gratia excitante, ex natura sua irrepudiabili, sed dicendo per gratiam excitantem, ex natura sua irrepudiabilem, tolli libertatem arbitrii. *R.* hoc esse fallum, & absurdum. Calvinus itaque erravit, 1. negando liberum hominis arbitrium. 2. Asserendo gratiam excitantem, quacum ad Deum convertemur, non esse talem, ut ejus motioni obtemperare aut refragari, ut eam recipere, aut respuere possumus pro arbitrio, quod evidenter est, asserere gratiam excitantem, ex natura sua irrepudiabilem. Utrumque errorem damnat Synodus Tridentina sess. 6. primum quidem can. 5. secundum verò c. 5. & can. 4. quod agnoscit Calvinus ipse in Antiodoto Trid. ad sess. 6.

At

At Calvinus, dicendo per excitantem gratiam, ex natura sua irrepudiabilem; tolli libertatem arbitrii, consequenter locutus est, nimisque absurdum est asserere, idcirco à Tridentina Synodo damnatum fuisse, quod confessus fuerit, cum auxilio, quod dat posse insuperabiliter determinatum ad unum, conciliari non posse eligendi facultatem, in utramque partem liberam & solutam.

Confirm. 4. Quia gratis omnino recurritur ad gratiam excitantem, ex natura sua irrepudiabilem, ut ostendo. Homo in statu innocentiae ad operandum bonum non indigebat gratia excitante, ex natura sua irrepudiabili. Ergo nec indiget nunc. *Prob. consequ.* Homo in statu innocentiae ad operandum bonum non indigebat gratia excitante, ex natura sua irrepudiabili, quia liber erat libertate arbitrii, adeoque sufficiebat illi gratia excitans, ex natura sua repudiabilis, quacum poterat se ipsum determinare, & se ipsum determinabat ad operandum bonum. Atqui homo etiam nunc liber est libertate arbitrii. Ergo etiam nunc ad operandum bonum non indiget gratia excitante, ex natura sua irrepudiabili, sed sufficit ei gratia excitans, repudiabilis ex natura sua quacum potest se ipsum determinare, & se ipsum determinat ad bonum operandum; quamquam hæc gratia debeat esse potentior propter infirmitatem ex originali culpa contractam.

COROLLARIUM I.

Gratia efficax constitui non potest in excitante gratia ex natura sua efficaci.

Prob. Quia gratia efficax constitui non potest in excitante gratia, ex natura sua irrepudiabili, ut accuratè probatum est. Atqui gratia excitans, ex natura sua efficax, est gratia irrepudiabilis ex natura sua. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam gratia excitans, ex natura sua efficax, sic dicitur, quia per se & intrinsecè impossibilis est cum negatione consensus: unde per se & intrinsecè sic connexa est cum consensu, ut ex hypothesi illius non possit non esse consensus. Atqui gratia non est per se & intrinsecè impossibilis cum negatione consensus, nisi quia ex natura sua irrepudiabilis est, ut patet ex terminis. Ergo, &c. Ex his

Apparet gratiam excitantem, ex natura sua efficacem, damari à Concilio Senonensi & Tridentino; reprobari à S. Augustino; actum primum insuperabiliter obligare ad alteram partem contradictionis, seu, quod idem est, dare posse ad unum insuperabiliter determinatum, adeoque tollere libertatem arbitrii; denique diversam non esse à gratia, quam Calvinus, & post Calvinum Janenius asseruit.

COROLLARIUM II.

Gratia efficax constitui non potest in cælesti delectatione, voluntatem ad consensum insuperabiliter determinante, sive dicatur prædeterminare moraliter tantum, eò quod alliciendo & delectando prædeterminet.

Prob. Constituire gratiam efficacem in cælesti delectatione, voluntatem ad consensum insuperabiliter prædeterminante, est eam constitui in cælesti delectatione, per se & intrinsecè irrepudiabili; eatenus enim vim habet insuperabiliter prædeterminandi, quatenus per se & intrinsecè irrepudiabilis est, ut patet ex terminis. Atqui gratia efficax constitui non potest in cælesti delectatione per se & intrinsecè irrepudiabili. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam cælestis delectatio, per se & intrinsecè irrepudiabilis, est gratia excitans, per se & intrinsecè irrepudiabilis: omnis enim cælestis delectatio est excitans gratia, & se tenet ex parte actus primi, cum det posse. Atqui gratia efficax constitui non potest in excitante gratia, per se & intrinsecè irrepudiabili, ut probatum est. Ergo, &c. Ex his

Vides omnia quæ contra excitantem gratiam, ex natura sua irrepudiabilem, dicta sunt, cadere in cælestem delectationem, quæ voluntatem ad consensum

insuperabiliter prædeterminat, sive dicatur prædeterminare physicè, sive dicatur prædeterminare moraliter tantum. Vides hanc delectationem repugnare doctrinæ Conciliorum & S. Augustini; cum arbitrii libertate impossibilem esse, & esse ipsissimam illam gratiam, quam defenderunt Calvinus & Janenius.

COROLLARIUM III.

Gratia efficax constitui non potest in delectatione cælesti, quæ à voluntate repudiari nequidem potest potentia ad actum reducibili.

Prob. Quia cælestis delectatio, quæ voluntate repudiari nequidem potest potentia ad actum reducibili, voluntatem insuperabiliter prædeterminat ad consensum, ut patet ex terminis. Atqui gratia efficax constitui non potest in cælesti delectatione, voluntatem ad consensum insuperabiliter prædeterminante (ex Coroll. II.) Ergo, &c. Et verò cælestis delectatio, quæ repudiari nequidem potest potentia ad actum reducibili, est per se & intrinsecè irrepudiabilis, ut patet ex terminis: Atqui gratia efficax constitui non potest in cælesti delectatione, per se & intrinsecè irrepudiabili, (ex Coroll. II.) Ergo, &c.

COROLLARIUM IV.

Gratia efficax constitui non potest in cælesti delectatione, quæ à voluntate repudiari non potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili.

Prob. Nam gratia efficax constitui non potest in cælesti delectatione, quæ repudiari nequidem potest potentia ad actum verè reducibili (ex Coroll. III.) Atqui cælestis delectatio, quæ repudiari non potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili, repudiari nequidem potest potentia ad actum verè reducibili. Ergo, &c. *Prom. min. 1.* Nam repugnare dari potentiam ad actum verè reducibilem, quæ pro nullo casu possibili sit ad actum reducenda; & omnis potentia, verè reducibili ad actum, non potest non esse ad actum reducenda pro aliquibus, imò pro multis casibus, si ponantur. Et verò si positus pluribus & pluribus in infinitum casibus, in nullo reduceretur ad actum, unde haberi posset quod sit verè reducibilis? Imò ex eo quod, positus pluribus & pluribus in infinitum casibus, in nullo tamen reduceretur ad actum, an non rectè concluderetur, quod non sit verè reducibilis?

Amplius. Potentiam esse ad actum reducibilem, est, actum ejus esse possibilem: sicut potentiam reduci ad actum, est actum ejus produci. Atqui nullus est actus possibilis, qui in aliquibus, imò multis casibus non produceretur, si Deus vellet eum produci. Ergo nulla potentia est ad actum reducibilis, quæ non esset etiam reducenda, si Deus eam reduci vellet. Ergo nulla potentia est ad actum reducibilis, quæ non etiam reduceretur in aliquibus casibus, si ponerentur. Ergo potentia ad actum reducibilis, quæ tamen pro ullo casu possibili non sit reducenda, chymera est; adeoque è converso chymera est potentia pro nullo casu possibili ad actum reducenda, quamvis sit ad actum verè reducibilis. Ergo omnis potentia ad actum reducibilis, est etiam reducenda pro aliquo casu possibili; & potentia non reducenda ad actum pro ullo casu possibili, non est ad actum reducibilis.

Dicentne esse aliquos actus possibiles, quos tamen produci Deus velle efficaciter non potest? Sed contra est, quia actus possibilis, quem produci Deus velle efficaciter non potest, neque voluntate positiva, neque permissiva, simul est & non est possibilis: est possibilis, ut supponitur; non est possibilis, quia nulla alia excogitari & esse potest ratio, cur Deus nulla voluntate possit efficaciter velle ut producat, quam quia veram habet repugnantiam ad existendum, adeoque impossibilis est. Et verò evidenter repugnat aliquid esse verè possibile, & tamen Deum nulla voluntate posse velle efficaciter ut producat; sicut etiam evidenter repugnat illud non produci, si illud produci Deus aliqua voluntate velit efficaciter.

Prob. min. 2. Cælestis delectatio, quæ repudiari non potest

potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili, est per se & intrinsecè irrepudiabilis. Atqui delectatio per se & intrinsecè irrepudiabilis repudiari nequidem potest potentia ad actum verè reducibili. Ergo nequidem potentia ad actum verè reducibili potest repudiari delectatio, quæ repudiari non potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili. *Prob. maj.* Nam nulla alia ratio assignari potest, cur cœlestis aliqua delectatio repudiari non possit potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili. *Prob. min.* Nam cœlestis delectatio per se & intrinsecè irrepudiabilis, non magis dici potest repudiari posse potentia ad actum reducibili, quam rei natura, vel attributum rei necessariò & essentialiter conveniens dici potest mutari posse potentia ad actum reducibili. Hinc

Confirm. Coroll. Gratia efficax constitui non potest in cœlesti delectatione per se & intrinsecè irrepudiabili; nam constitueretur in gratia excitante per se & intrinsecè irrepudiabili, si in tali delectatione constitueretur. Atqui cœlestis delectatio, quæ repudiari non potest pro ullo casu possibili, per se & intrinsecè irrepudiabilis est. Ergo, &c.

Dices. Assignari potest potentia ad actum verè reducibili, nunquam tamen reducenda pro ullo casu possibili. *Nego. Probabis.* Homo sapiens potest, etiam in sensu composito sapientiae, sibi met effodere oculos, putà ad exercendam libertatem, vel ad obsequendum amico id enixè postulanti; nullus tamen casus possibilis est, in quo homo in sensu composito sapientiae, seu nisi prius insaniret, ad exercendam libertatem, vel ad obsequendum amico id enixè postulanti, sibi met oculos effoderet. Ergo homo sapiens potest potentia ad actum reducibili, nunquam tamen reducenda pro ullo casu possibili, in sensu composito sapientiae sibi met effodere oculos, &c. Ergo datur potentia ad actum verè reducibilis, quamvis nunquam re ipsa reducenda pro ullo casu possibili.

R. neg. ant. Itaque homo sapiens, nisi prius insaniat, nulla potentia potest sibi met effodere oculos ad exercendam libertatem, vel ad obsequendum amico id enixè postulanti, aut propter aliud simile motivum. Ratio est, quia nisi prius insaniat, nulla potentia potest id velle: nihil enim omninò ulla potentia potest velle in sensu composito sapientiae, nisi propter motivum sufficiens ad volendum, adeoque verè vel saltem apparenter rei volendæ proportionatum in sensu composito sapientiae. At neque libertatis exercitium, neque obsequium, oculorum effossione amico præstandum, neque aliud quidlibet simile, est aut esse potest homini sapienti in sensu composito sapientiae motivum etiam apparenter proportionatum oculorum effossioni volendæ, adeoque sufficiens ad illam volendam; imò hæc omnia homini sapienti in sensu composito sapientiae sunt motiva oculorum effossioni volendæ evidenter improporcionata, ac proinde omninò insufficientia ad illam volendam. Ergo homo sapiens nulla potentia potest velle in sensu composito sapientiae; hoc est, nisi prius insanierit, sibi met ad exercendam libertatem, vel ad obsequium amico id enixè postulanti præstandum, oculos effodere.

Quod confirmatur ex eo, quod homini sapienti, quandiu sapiens est, propria oculorum effossio, ut procuranda ad exercendam libertatem, vel ad obsequium exhibendum amico id postulanti per jocum (neque enim tale obsequium ab amico exigitur serio potest amicus, nisi ipse prius insaniat,) evidenter appareat mala simpliciter. Unde homo sapiens non magis ulla vera potentia potest velle, quandiu sapiens est, propter ejusmodi motivum sibi met oculos effodere; quam potest aliqua vera potentia velle malum simpliciter, seu, quod idem est, velle malum præcisè quia malum, quod tamen nulla vera potentia potest mortaliū quisquam.

COROLLARIUM V.

Gratia efficax constitui non potest in delectatione cœlesti, semper & infallibiliter cum consensu saluta-

ri connexa per excessum, quo superat terrenam delectationem.

Prob. Nam si delectatio cœlestis semper, & infallibiliter cum consensu salutari connexa est propter intensiōis excessum, quo superat terrenam delectationem, certè quia propter excessum illum repudiari non potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili, pro quo scilicet illum excessum habere supponitur, alioquin non erit cum consensu salutari connexa pro omnibus casibus, pro quibus supponetur excessum illum habere: nec erit nisi contingenter cum consensu salutari connexa pro iis casibus, pro quibus re ipsa connexa erit propter excessum illum; adeoque non erit propter excessum illum semper & infallibiliter connexa cum consensu salutari. Atqui cœlestis delectatio, quæ propter excessum, quo terrenam delectationem superat, repudiari non potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili, pro quo supponitur excessum illum habere, propter excessum illum nequidem potentia ad actum verè reducibili potest repudiari (ex Coroll. IV.) & delectatio cœlestis, quæ propter excessum, quo superat terrenam delectationem, nequidem potentia ad actum reducibili potest repudiari, propter excessum illum voluntatem insuperabiliter prædeterminat (ex Coroll. III.) & delectatio cœlestis, quæ propter excessum, quo superat terrenam delectationem, voluntatem prædeterminat insuperabiliter, propter excessum illum est per se & intrinsecè irrepudiabilis (ex Coroll. II.) Ergo delectatio cœlestis, semper & infallibiliter cum consensu salutari connexa propter excessum, quo terrena delectationem superat, propter excessum illum per se & intrinsecè irrepudiabilis est. Ex his

Sic adhuc argumentor. Gratia efficax constitui non potest in cœlesti delectatione, per se & intrinsecè irrepudiabili, quia constitui non potest in excitante gratia, quæ sit per se & intrinsecè irrepudiabilis, ut probatum est. Atqui cœlestis delectatio, semper & infallibiliter connexa cum consensu salutari propter intensiōis excessum, quo superat terrenam delectationem, est propter excessum illum per se & intrinsecè irrepudiabilis. Ergo gratia efficax constitui non potest in cœlesti delectatione, semper & infallibiliter connexa cum consensu salutari propter intensiōis excessum, quo superat delectationem terrenam.

COROLLARIUM VI.

Omninò respuendum est systema recentiorum, constituentium gratiam efficacem in omni & sola delectatione cœlesti, terrenam delectationem uno vel pluribus intensiōis gradibus superante.

Prob. Nam 1. si omnis delectatio cœlestis, terrena delectatione intensior, est gratia efficax delectatio cœlestis est semper & infallibiliter connexa cum consensu salutari per excessum, quo superat terrenam delectationem, ut patet ex terminis. Et verò nulla alia ratio excogitari potest, cur omnis delectatio cœlestis, terrena delectatione intensior, sit gratia efficax. Atqui si delectatio cœlestis semper & infallibiliter cum consensu salutari connexa est propter excessum, quæ superat terrenam delectationem, omnis delectatio cœlestis, terrena delectatione intensior, est per se & intrinsecè irrepudiabilis (ex Coroll. V.) Ergo si omnis delectatio cœlestis, intensior delectatione terrena, est gratia efficax, omnis delectatio cœlestis, intensior delectatione terrena, per se & intrinsecè irrepudiabilis est, adeoque in hoc systemate gratia efficax constituitur in excitante gratia, per se & intrinsecè irrepudiabili. Quod est intolerabile.

2. Si omnis delectatio cœlestis, terrena delectatione intensior, est gratia efficax; delectatio cœlestis, vel unico intensiōis gradu terrenam delectationem superans, nulla potentia repudiari potest à voluntate; per se & intrinsecè irrepudiabilis est, per se & intrinsecè impossibilis est cum negatione consensus, adeoque voluntatem insuperabiliter prædeterminat. Jam quæro à systematis defensoribus, quo experimento, qua ratione, qua auctoritate probent voluntatem habentem

sem quinque gradus delectationis celestis cum quatuor gradibus terrenae delectationis, à quinto gradu, quo celestis delectatio terrenam excedit (nam quatuor alii celestis delectationis gradus à quatuor gradibus delectationis terrenae eliduntur) insuperabiliter prædeterminari?

Dices. Probant autoritate S. Augustini: pro illis enim pronuntiat, cum ait: *Quod amplius non delectat, secundum id operetur necesse est*: nam loquitur de delectatione indeliberata. R. I. Saltem obcurum & dubium est, utrum loquatur de delectatione indeliberata, an verò de deliberata. Ergo systema adversariorum ad summum non habet aliud fundamentum, quam obcurum & dubiam auctoritatem. Et verò vel est evidens ex terminis, S. Doctorem loqui de delectatione indeliberata, vel non est evidens. Primum quis sensit, quis dixit ante Janenium? Primum sine falso præiudicio asseri non potest, & si asseritur, tanto iure negatur, quanto asseritur. Primum manifestè repugnat conscientiae cuiusque terminos sincere expendentis. Gratis igitur & falsò dicitur, evidens esse ex terminis, quòd S. Doctor loquatur de delectatione indeliberata. At si non est evidens ex terminis, probare debent ex alio textu clariori, qualem tamen non habent; cum laudatus textus, omnium qui proferri possunt, teste Janenio in librorum S. Augustini lectione verisimilimo, clarissimus sit & præclarissimus. Ergo saltem obcurum & dubium est, utrum S. Augustinus in laudato textu, de delectatione indeliberata loquatur, an non; adeoque systematis defensores ad summum habent pro se obcurum & dubium testimonium, quod de delectatione indeliberata intelligunt, quia intelligere volunt; aut si clarum habent pro se testimonium, certè aliud non habent, quam testimonium Janenii, S. Augustinum de delectatione indeliberata arbitrariè interpretantis. 2. Falsum est, quòd S. Doctor loquatur de delectatione indeliberata, & è contra de deliberata loqui, accuratè demonstratum est. Malè igitur pro adversariorum systemate asseritur S. Augustini auctoritas.

3. Si delectatio celestis, terrena delectatione intensior insuperabiliter prædeterminat voluntatem ad bonum, vicissim terrena delectatio, celestis delectatione intensior, insuperabiliter prædeterminat voluntatem ad malum; proindeque voluntas in moralibus nunquam sive bonum sive malum vult & operatur, nisi ex insuperabili prædeterminatione ad illud volendum & operandum, ex insuperabili, inquam, ad illud volendum & operandum prædeterminatione, se tenente ex parte actus primi, adeoque ex antecedenti & insuperabili ad illud volendum & operandum necessitate. At si ita se res habent, ubi libertas indifferentiae circa bonum & malum in homine lapsa? ubi exhortationum, consiliorum, & præceptorum utilitas? ubi aequitas in reprobis aeterna damnatione plectendis, quia peccarunt ex insuperabili prædeterminatione & necessitate peccandi, & perseverarunt in peccatis ex insuperabili prædeterminatione & necessitate in illis perseverandi?

At inquires. Mali ita malum volunt & operantur, quia ad illud volendum & operandum insuperabiliter prædeterminantur à delectatione terrena prædominante, ut possint potentia ad actum reducibili, quamvis nunquam reducenda, resistere delectationi terrenae prædominanti, adeoque malum nec velle nec operari. R. neg. *Probabis.* Nam possunt eadem saltem potentia, qua potest homo sapiens velle etiam in sensu composito sapientiae sibi met oculos eruiere ad exercendam libertatem, vel ad placendum amico, id enixè per jocum postulanti. R. Bone Deus! hac seriò dici possunt? Iustus v. g. qui è statu iustitiae decidit, mortaliter peccando, peccatum vitare, & præceptum quod transgreditur, observare non aliter potest, quam potest homo sapiens sibi met oculos eruiere in sensu composito sapientiae ad exercendam libertatem, vel ad placendum amico id enixè per jocum roganti? Sic Deus neminem priùs deserit, quam ab eo deseratur? sic Deus iustos reprobos adjuvat ad perseverandum in statu ju-

stititiae? sic Deus iustis reprobis dat auxilium ad salutem sufficiens? Sed jam satis superque ostensum est, potentiam in homine sapiente volendi in sensu composito sapientiae sibi met oculos eruiere ad exercendam libertatem, vel aliud simile motivum, nullam & chymericam esse potentiam.

4. Gratis omninò dicitur, quod sola delectatio celestis, terrena delectatione intensior, sit gratia efficax. Nam quæro quare celestis delectatio, terrena delectationi aequalis in intentione, non possit esse, & non sit aliquando gratia efficax in hoc statu naturae lapsae? quæro quare voluntas, habens quatuor delectationis celestis gradus cum quatuor gradibus delectationis terrenae, non aliquando velit & operetur bonum?

Dices. Voluntas in suppositione facta potest quidem potentia ad actum reducibili velle & operari bonum, qui non potest potentia ad actum reducenda pro ullo casu possibili in præsentis statu, manente scilicet eadem suppositione. R. At hoc quæro, quare non possit? quæro unde habeant adversarii, quòd non possit? Nam voluntas, in suppositione facta, est in perfectò æquilibrio: neutra enim delectatio voluntatem magis inclinat in unam partem, quam altera in adversam. Quare ergo voluntas, in suppositione facta, non potest potentia ad actum reducenda velle & operari bonum? In statu innocentiae voluntas, in perfectò æquilibrio constituta, poterat potentia ad actum reducenda pro arbitrio modò velle & operari modum, modò velle & operari malum: quare in præsentis statu, recuperato illo æquilibrio per celestem delectationem, terrenae delectationi in intensione æqualem, non similiter potest potentia ad actum reducenda pro arbitrio modò velle & operari bonum, modò velle & operari malum? Edisserant.

In statu innocentiae voluntas habitibus supernaturalibus instructa cum supernaturali illustratione, in neutram partem indeliberatè propendens, poterat etiam potentia ad actum reducenda pro multis casibus bonum velle & operari: non enim dubium est, quin homo in statu innocentiae multos virtutum actus exercuerit. Quidni ergo in præsentis statu voluntas instructa pariter habitibus infusis cum illustratione supernaturali, & parato supernaturali concursu ex parte actus secundi requisito, æquales habens delectationes indeliberatas, terrenam scilicet & celestem, adeoque non magis in alterutram partem indeliberatè propendens, quam si neutram delectationem haberet, perinde enim se habet, cum ambæ sese elidunt, secundum adversarios, ac si neutram haberet; quidni, inquam, posset, etiam potentiam ad actum reducenda pro multis casibus, bonum velle & operari? Quidni in hac suppositione multoties vellet & operaretur bonum? Quid intolerabilius dici potest, quam voluntatem in hac suppositione non aliter posse bonum velle & operari, quam potest homo sapiens in sensu composito sapientiae sibi met oculos eruiere ad exercendam libertatem, vel, si vis, quam homo mentis compos potest velle malum præcisè qua malum, quandiu mentis compos est?

Dices. Voluntas magnam ex originali culpa contraxit agilitudinem. R. Ita est. *Dices.* Ergo ut velit & operetur bonum, eget sanari. R. Ita est. At dico, voluntatem in suppositione facta ad hoc ut velit & operetur bonum, sufficienter sanari per celestem delectationem, terrenae delectationi in intentione æqualem: per eam enim manifestè restituitur in æquilibrio, è quo excidit propter peccatum originale. Voluntas in statu innocentiae erat sana & robusta, quia erat in perfectò æquilibrio. Ergo in sanitatem & vires pristinas restituitur, cum restituitur in illud æquilibrio. Præterea, in præsentis statu voluntatis agilitudo consistit in indeliberatis terrenae delectationi motibus. Ergo voluntatis agilitudo sanatur, cum terrena delectatio reprimatur; reprimatur autem per celestem delectationem in intensione æqualem.

At inquires obiter. Si voluntas ad hoc ut velit & operetur bonum, sufficienter sanatur in facta suppositione.

sitione, quare in facta suppositione non semper vult & operatur bonum? R. Quasi verò voluntatem necesse sit velle & operari bonum, hoc ipso quod sufficienter sanatur ad illud volendum & operandum! Certè voluntas in statu innocentie sana fuit & robusta, & tamen non semper bonum voluit & operata est; alioquin in illo felici statu perseverasset. Itaque voluntas in facta suppositione non semper vult & operatur bonum, quia pro innata sibi libertate indifferentie, modò ad bonum, modò ad malum se ipsa determinat: cum autem sese determinat ad bonum, hoc facit non ex suis tantum, sed suis simul & gratie, ipsam sanantis ac sanando adjuvantibus, viribus indivisibilibus.

Dices. Ut sanetur voluntas sufficienter in ordine ad volendum & faciendum bonum, requiritur gratia prædeterminans, qualis esse non potest cœlestis delectatio, quæ terrenam delectationem in intentione non superat. R. 1. Ita sentit Jansenius, & quidem consequenter ad sua principia, principium enim Jansenii est, quod voluntas per peccatum originale penitus & irreparabiliter amisit vim se ipsam determinandi, sitque per terrenam delectationem ad malum insuperabiliter prædeterminata, nisi per prævalentem delectationem cœlestem, adeoque in intentione majorem, ad bonum prædeterminetur. Unde consequitur, voluntatem in ordine ad bonum volendum & faciendum non sanari sufficienter, nisi per excitantem gratiam ad bonum insuperabiliter prædeterminantem. Unde apparet à Jansenio non nisi ex principio hæretico requiri excitantem gratiam ad bonum prædeterminantem ad hoc ut voluntas sufficienter sanetur in ordine ad volendum & faciendum bonum.

Quaro igitur ab adversariis, unde excitantis gratie insuperabiliter prædeterminantis necessitatem repetant? Si cum Jansenio sentiunt voluntatem per peccatum originale penitus & irreparabiliter amisisse vim se ipsam determinandi, consequenter loquuntur & sentiunt; sed excitantis gratie insuperabiliter prædeterminantis necessitatem repetunt ex principio hæretico; & sub nomine excitantis gratie prædeterminantis, gratiam necessitantem intelligere convincuntur. Si sentiunt cum reliquis Doctoribus Catholicis, voluntatem per peccatum originale non amisisse, aut saltem non penitus & irreparabiliter amisisse vim se ipsam determinandi, quare ad excitantem gratiam prædeterminantem confugiunt? Etenim si voluntas per peccatum originale non amisit, aut saltem non irreparabiliter amisit vim se ipsam determinandi, quid opus est excitante gratia prædeterminante, ad hoc ut voluntas sufficienter sanetur, vel, quod idem est, sufficienter adjuvetur, ut se ipsa velit & operetur bonum?

R. Itaque 2. ad voluntatis sanitatem gratis saltem & perperam requiri excitantem gratiam prædeterminantem: nam ad hoc requiritur ad summum excitans gratia, quæ restituat æquilibrium; & æquilibrium restitui per cœlestem delectationem terrenæ delectationi viribus æqualem, ex terminis clarum est. Igitur in suppositione superius facta, voluntas sana & robusta est in ordine ad volendum & faciendum bonum. Igitur non nisi intolerabiliter negatur, quod voluntas velle & operari bonum possit etiam potentia ad actum reducenda pro multis casibus ex innumeris, in quibus in præsentis statu constitui potest, & habere cœlestem delectationem terrenæ delectationi intensivè æqualem. Igitur intolerabiliter negatur, quod voluntas in multis casibus, si in illis constituatur cum cœlesti delectatione terrenæ delectationi intensivè æquali, se ipsa volitura sit & operatura bonum. Igitur intolerabile est illud, quod dicunt adversarij, omnem & solam delectationem cœlestem, delectatione terrenæ intensivè majorem, esse gratiam efficacem.

Dices adhuc. Voluntatem vim se ipsam determinandi ad bonum, quam per peccatum originale amisit, recuperare non potest, nisi per excitantem gratiam prædeterminantem: tantam enim contraxit infirmitatem, ut se ipsam ad bonum determinare non possit, nisi ad id ab excitante gratia prædeterminetur. R. hæc omnia

gratis & perperam dici. Dico itaque, ad hoc ut voluntas vim se ipsam determinandi integram & expeditam recuperet, ad summum requiri, ut restituatur per excitantem gratiam in æquilibrium, in quod restitui potest, & restituatur per cœlestem delectationem terrenæ delectationi intensivè æqualem, adeoque viribus parem: voluntas enim cum illo æquilibrio sana est & robusta. Voluntatem autem sanam & robustam vim se ad bonum determinandi integram & expeditam habere, quis ambigit?

Ad hoc igitur ut voluntas integram & expeditam vim habeat se ipsam determinandi ad bonum, perperam requiritur pro statu præsentis excitans gratia prædeterminans. Perperam dicitur voluntatem in præsentis statu, ad hoc ut se ipsam ad bonum determinet, egere excitante gratia prædeterminante. Voluntas in statu innocentie ad se ipsam determinandam ad bonum, non egebat tali gratia; & non egebat, quia sana & robusta erat, & sana ac robusta erat propter æquilibrium. Ergo si voluntas in præsentis statu restituatur in æquilibrium per excitantem gratiam terrenæ delectationi viribus non imparem, vel etiam superiorem, sed non propterea prædeterminantem, & ita sana fiat & robusta, vim se ipsam ad bonum determinandi integram & expeditam habebit, neque ut se ipsam ad bonum determinet, excitante gratia prædeterminante indigebit.

Præterea, cum dicitur voluntatem in præsentis statu egere excitante gratia, ipsam prædeterminante ad volendum & agendum bonum, ut bonum velit, & agat, hoc intelligitur, & ita docent Calvinus & Jansenius: unde consequenter dicunt voluntatem in præsentis statu non ex propria determinatione, sed sponte tantum bonum velle & agere. At cum dicitur voluntatem in præsentis statu egere excitante gratia, ipsam prædeterminante, ut se ipsa determinet, seu, quod idem est, prædeterminante ad volendum & agendum bonum ex propria determinatione, proflus hoc intelligibile est, vel potius manifestam involvit contradictionem. Manifeste enim repugnat voluntatem velle & operari bonum ex propria determinatione sub gratia dante posse ad unum antecederet & insuperabiliter determinatum, seu, quod idem est, sub gratia actum primum ad alteram contradictionis partem antecederet & insuperabiliter obligante. Talem autem esse excitantem gratiam prædeterminantem, supra ostensum est.

Et verò voluntas non vult & operatur bonum ex propria determinatione, sine vi expedita se ipsam determinandi. Quid autem est vis expedita se ipsam determinandi, nisi saltem expedita facultas agendi vel non agendi in sensu composito eorum omnium, quæ se tenent ex parte actus primi? Ad quod sanè requiritur, ut nihil ex parte actus primi sit, quod sit per se & intrinsecè cum altera parte contradictionis impossibile; qualis tamen est gratia excitans, ad volendum & operandum bonum insuperabiliter prædeterminans. Hic igitur modus loquendi. Excitans gratia voluntatem prædeterminat, ut se ipsam determinet, ad aliud valere non potest, quàm ad palliandam Calvinii & Jansenii doctrinam circa libertatem hominis lapsi, & medicinalem gratiam.

5. In hoc systemate non datur gratia verè sufficiens præter gratiam efficacem. Nam si datur, vel est delectatio cœlestis intensivè minor, quàm delectatio terrena, vel est delectatio cœlestis delectationi terrenæ intensivè æqualis. Neutrum dici potest. Non primum, ut probatur. Ille non habet gratiam verè sufficientem ad observandum præceptum, qui est antecederet & insuperabiliter prædeterminatus ad illud transgrediendum. Atqui in hoc systemate, qui v. g. urgente præcepto charitatis, habet tantum quatuor gradus delectationis cœlestis cum quinque gradibus delectationis terrenæ, est antecederet & insuperabiliter à prædeterminante delectatione terrena ad transgrediendum illud præceptum prædeterminatus. Ergo, &c.

Non secundum, ut probatur. Ille non habet gratiam saltem in æstimatione morali, & in ordine ad imputa-

imputabilitate verè sufficientem ad observandum præceptum, qui non aliter potest velle observare præceptum, quam potest homo sapiens velle in sensu composito sapientiæ sibi eruiere oculos ad exercendam libertatem, aut aliud simile motivum. Atqui in hoc systemate, qui v. g. urgente charitatis præcepto, habet quatuor gradus delectationis cælestis cum quatuor delectationis terrenæ gradibus, non aliter potest velle diligere Deum, quam homo sapiens potest velle in sensu composito sapientiæ sibi eruiere oculos ad exercendam libertatem. Ergo, &c.

6. Denique, in hoc systemate, sub excitantis gratiæ ex natura sua efficacis nomine, defenditur gratia verè necessitans, ut satis intelligi potest ex dictis, & adhuc breviter ostenditur. Gratia excitans ex natura sua efficax, quæ defenditur in hoc systemate, è diametro opponitur excitanti gratiæ versatili. Atqui excitans gratia versatilis est ea, sub qua voluntas potest pro arbitrio in hanc vel illam contradictionis partem sese convertere. Patet ex statu innocentie, in quo ipsius Adversarii propterea dicunt excitantem gratiam fuisse versatilem, quod voluntas sub illa in quam vellet contradictionis partem, sese converteret. Ergo excitans gratia ex natura sua efficax est ea, sub qua voluntas non potest pro arbitrio in hanc vel illam contradictionis partem sese convertere. Atqui voluntatem non posse pro arbitrio se in hanc vel illam contradictionis partem convertere, & voluntatem non posse se ipsam ad hanc vel illam contradictionis partem determinare, synonyma sunt. Ergo excitans gratia ex natura sua efficax est ea, sub qua voluntas non habet facultatem se ipsam ad hanc vel illam contradictionis partem determinandi. Atqui gratia excitans, sub qua voluntas non habet facultatem se ipsam ad hanc vel illam contradictionis partem determinandi, est proculdubio gratia necessitans, est certò certius gratia illa, quam defendit Calvinus, & post Calvinum Janenius. Ergo, &c.

At dicent mihi. Ergo damnas gratiam ex natura sua efficacem. *R.* Aliud est damnare gratiam excitantem ex natura sua efficacem, & aliud damnare gratiam ex natura sua efficacem. Itaque non damno gratiam ex natura sua efficacem, quia non damno gratiam operantem, physicè prædeterminativam, adeoque ex natura sua efficacem; quam non sine aliqua probabilitate defendunt Thomistæ. At dico gratiam excitantem, efficacem ex natura sua, esse necessitantem gratiam, & eam, quam defenderunt Calvinus & Janenius, proindeque ab omni homine Catholico rejiciendam.

Dicent iterum. Eadem est causa gratiæ excitantis & gratiæ operantis. *R.* Minimè verò: nam gratia operans, ut observat Janenius ipse, se habet instar concursus generalis, adeoque non pertinet ad actum primum, quem proinde ad alteram contradictionis partem antecedenter obligare non potest. Unde in systemate gratiæ operantis, efficacis ex natura sua, actus primus immunis est ab omni necessitate, & voluntas expeditam habet facultatem agendi vel non agendi in sensu composito eorum omnium, quæ se tenent ex parte actus primi. At gratia excitans se habet ad modum potentie, adeoque pertinet ad actum primum, quem proinde non potest non antecedenter obligare ad alteram contradictionis partem, si ex natura sua efficax est. Pro quo sic adhuc

Argumentor. 1. Gratia excitans dat posse, & gratia ex natura sua efficax, utpotè ex natura sua impossibilis cum negatione consensus salutaris, ad consensum salutarem insuperabiliter prædeterminat. Ergo gratia excitans, efficax ex natura sua, dat posse insuperabiliter prædeterminatum ad consensum salutarem. Atqui cum hoc posse manere non potest eligendi facultas in utramque partem libera & soluta, in qua facultate consistit libertas arbitrii. Ergo in systemate gratiæ excitantis, ex natura sua efficacis, nec manet, nec manere potest libertas arbitrii. 2. Gratia excitans se tenet ex parte actus primi, & gratia ex natura sua efficax, est per se & intrinsecè irrepudiabilis, adeo-

que per se & intrinsecè ad alteram contradictionis partem obligativam. Ergo in systemate excitantis gratiæ, ex natura sua efficacis, actus primus est antecedenter & insuperabiliter ad alteram contradictionis partem obligatus, proindeque voluntas expeditam non habet facultatem agendi vel non agendi in sensu composito eorum omnium, quæ requiruntur ex parte actus primi, in qua saltem facultate libertas arbitrii consistit.

ARTICULUS VIII.

Utrum gratia efficax constituenda sit in operante gratia, voluntatem ad salutarem consensum physicè prædeterminante.

RESPONSIO.

Constituenda non est.

Prob. 1. ex Scriptura: cum enim loquitur de gratia efficaci, non operantis, sed excitantis gratiæ meminit, ut patet ex Apostolo Rom. c. 8. *Scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum, iis qui secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quos præcivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui: quos autem præcivit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit, quos autem justificavit, illos & glorificavit.* Hic manifestè loquitur Apostolus de prima gratia efficaci, electis ad credendum data, quæ est effectus prædeterminationis, & quam infallibiliter consequitur justificatio cum glorificatione. Atqui vocat illam vocationem secundum propositum. Vocatio autem est excitans, non operans gratia. Igitur, secundum Apostolum, prima gratia efficax, seu gratia efficax, quæ electis ad credendum datur, est gratia, non operans, sed excitans, quam eis Deus dat ex proposito, hoc est, ex absoluta & efficaci voluntate eos perducendi ad gloriam, & quam proinde eis dat quomodo scit eis congruere, ut velint credere, & credant. Atqui quod dicitur de prima gratia, dici debet de secunda, tertia, quarta, &c. Ergo, secundum Apostolum, omnis efficax gratia in excitante, non in operante gratia consistit.

Prob. 2. ex S. Augustino, qui loquens de gratia efficaci, ponit eam, non in operante, sed in excitante gratia: nam cum Apostolo ponit eam in vocatione; ut epist. 107. ubi sic ait: *Si ergo ita præpararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo legem suam atque doctrinam libera ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alia atque secreta sic ejus ageret sensum, ut eidem legi atque doctrinæ accommodaret assensum, proculdubio eam legere, vel intelligere legendo, vel etiam exponere ac predicare sufficeret, nec opus esset orare, ut Deus ad fidem suam infidelium corda converteret, & conversis proficientem perseverantiam ejusdem gratiæ sue largitate donaret.* Hic manifestè loquitur S. Doctor de gratia efficaci, qua nimirum Deus præparat & operatur hominis voluntatem, hoc est, boni operis volitionem. Itaque juxta S. Doctorem, gratia efficax est vocatio; est vocatio illa alta & secreta, qua Deus sic agit & movet hominem, ut legi atque doctrinæ Christianæ assentiatur & obsequatur; est vocatio, qua Deus ad fidem suam infidelium corda convertit, & conversis proficientem perseverantiam donat. Itaque, juxta S. Doctorem, gratia efficax est excitans gratia, qua Deus modo quodam alto & secreto movet hominem, & sic movet, ut bonum velit & operetur; non verò gratia operans, qua Deus voluntatem hominis physicè & insuperabiliter prædeterminet: neque cum oramus, ut Deus ad fidem suam infidelium corda convertat gratia sua efficaci, & conversis ejusdem gratiæ largitate donet proficientem perseverantiam; gratiam operantem physicè & insuperabiliter prædeterminantem, juxta S. Doctorem petimus, sed excitantem illam gratiam, qua sic congruè tangitur cor hominis, ut ad veram fidem convertatur, & conversus, continuata eadem gratia, in